

No. 2. 1213.

Markgraf Dietrich beurkundet die Stiftung des Thomasklosters, freit die einzeln aufgeführten Besitzungen desselben von landesherrlichen Belastungen und Anforderungen und trifft Anordnungen in Betreff der Vogtei.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ego Thidericus divina favente clementia marchio Misnensis et Orientalis omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Apud universos Christi fideles notum esse volo et perpetuae memoriae commendari desidero, qualiter ego ad placandam iram superni iudicis, quam innumerabilium enormitate flagitiorum a diebus iuventutis meae irritasse me verebar, consultis quam pluribus religiosis et sapientibus viris in remissionem peccatorum meorum et dilectae coniugis meae Jvdithae et ceterorum carorum meorum ecclesiam deo et beato Thomae in Lipz devote inchoavi, in qua ordinem religiosorum virorum secundum regulam beati Augustini deo militantium collato eis necessario vitae stipendio in perpetuum ordinavi, hanc de misericordia clementissimi salvatoris habens fiduciam, ut dum ego multis secularibus negotiis implicatus in multis delinquo, pius ille et innocens fidelium conventus Christi cottidianis et continuis interventionibus pro meis cottidianis et continuis implorent et inpetrent veniam excessibus, tantoque propensius eorum necessitatibus consulere et de meis facultatibus defectus eorum saepius et saepius supplere curavi, quanto sanctissimis eorum meritis et precibus potius quam ex propriis operibus salvari non diffido. Hanc nimirum ecclesiam in divino officio perpetua pace florere congaudeo et ab omni disturbance et inquietudine liberam et securam esse concedo, ita sane ut nullus sibi aliquod dominium vel ius patrocinatus in advocatia usurpet aut vendicat. Bona vero quae de meis redditibus praefatae ecclesiae ob honorem dei et sancti Thomae sollempni oblatione a me ipso collata sunt, praesenti scripto commendari praecepi. Ecclesia sancti Thomae, cuius dos est villa Papendorp^{a)} et duo mansi prae foribus ecclesiae et plures areae solventes. Ecclesia sancti Nicolai et capella beati Petri, quarum dos est villa Balduwinesdorp^{b)} cum omni utilitate, continens mansum et XX^{ti} et III^{es} areas, Heide^{c)} villa quaedam habens XXX^{ta} mansos, quorum duos scultetus habet in beneficio et tertius attinet ecclesiae ipsius villae. Olskowiz^{d)} villa habet XX^{ti} mansos et dimidium, quos ego comparavi quadringentis marcis et L^s, Geroldesdorp tam in agris quam in molendinis et pratis et nemore, excepto parum nemoris, quod Otto de Liechtenhagen et Otto de Worcin a me possident. Hoc quoque sciendum est et diligenti memoriae commendandum, quia haec omnia, quae praescripta sunt, tam per manum propriam quam per manus heredum et successorum meorum praefatae ecclesiae sub hac libertate sunt collata, ut nullus deinceps aliquo gravamine exactionis vel petitionis cuiuslibet servitii vel operis has beati Thomae possessiones et possessionum cultores infestare praesumat. Huius rei gratia hanc praefatam ecclesiam eiusdemque ecclesiae confratres in manus here-

a) Pfaffendorf, Par. S. Thomä zu Leipzig. b) Baalsdorf, Eph. Leipzig. c) Probsthaida, Eph. Leipzig. d) Oelschwitz, wüste Mark, auf der Höhe zwischen Connowitz und Probsthaida.